Fragmentarium


illi superni argentei quos dum perfecte
diuiserimus per eorum distributionem cum sanc-
tis nobis ipsis acquirimus. Unde et in euange-
lio dominus dicit. Facite nobis amicos de mam-
mona iniquitatis. ut cum defeceritis recipiant
uos in eterna tabernacula. Sed quid per ducen-
tos intelligimus nisi dupplicem retributionem.
quam acquirimus dum eos in hoc mundo perfecte
pro xpisto contempnimus. Mille ergo et ducenti
argentei ecclesie existunt. quia dum fideles quique
omnia que possident ex toto relinquunt et pa-
cis sibi cum sanctis faciunt et presentis uite
remunerationem cum celesti percipiunt. Et
hoc est quod dominus in euangelio ait. Amen
dico uobis. nemo est qui relinquit domum aut
fratres aut sorores aut parentem. aut matrem.
aut filios aut agros. propter me et propter
euangelium qui non accipiat centies tantum nunc
in tempore hoc domos et fratres et sorores et
matres et filios et agros cum persecutionibus.
et in seculo futuro uitam eternam. Sed quibus ista
remuneratio sic dupplicatur. nisi his qui custo-
diunt fructus eius. Qui sunt autem qui fructus
eius uinee custodiunt. nisi illi qui in sancto
opere quod inceperunt perseuerantes existunt.
Opus enim quod sancto desiderio incipitur.
si constancia mentis usque ad finem non tenet

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

License: cc-by-nc-sa – Paris, Bibliothèque nationale de France, Baluze 270, ParisBNFBaluze270_258_f121v – Fragments of manuscripts gathered by Étienne Baluze (https://fragmentarium.ms/view/page/F-0r5d/340/5264)